

pudentiam, & impudentiam esse ducem ad omnem turpitudinem. Ergo & Hippomenes, cum esset ingratiſſimus, tandem factus est adeo impudens & impudicus, ut ne locis quidem sacris effrenatam libidinem suam cohibere posset. Postremo quia homines venereo impetu sunt immares, recte etiam finguntur Hippomenes & Atalanta transire in leones, quibus nullum genus ferarum est truculentius.

FAB. XII. ET XIII. ILLA  
QVIDEM &C.

De Adoni in Anemonem, & Menthe nympha in mentham herbam.

*Adonidis casus docet venationem esse studium seu exercitium virorum fortium, non mollium ac delicatiorum, quales plerumque sunt amatores. Nec sine causa fingitur puer formosissimus mutari in Anemonem florem maxime caducum, nempe ut admoneamur, nihil esse minus diuturnum pulcritudine ac forma, iuxta illud:*

Venatio docet viros fortes non molles.

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.

Forma bonum fragile.

*Pontanus a Physiologia transfert fabulam, per Adonim intelligens solem, quo nihil formosius: per virilia, radios solares, quibus omnia humanae generantur: per aprum signum Zodiaci capricornum: is enim radios solares amputat, ubi dies in Bruma sunt contractiores: per Venere, ipsam tellurem, qua solem amat, eoque carens squallet. Sic autem ait Pontanus primo de stellis:*

Adonis fabula ad Physiologiam relatata.

Terra etenim solem queritur deserta cadentem,  
Invidit quem tristis hiems, cui saevior aprum  
Horret cana gelu facies, cui plurimus imber  
Crine madet geminos & cum male contudit armos,  
Ac veluti virgo absenti cum sola marito  
Suspirat sterilem lecto traducere vitam,  
Illius expectans complexus anxia caros,  
Cum gravidos aperitque sinus & terra relaxat.

Spira-